

Verfabatur per id tempus Coloniae Theodoricus, primùm mon-  
 tis S. Nicolai Abbas, post Estiensis in Livonia Episcopus, sollicitando  
 ad Rhenum & per Westfaliam non modò subsidia adversus barbaros;  
 sed & Sacerdotes & Apostolicos viros conquirendo, qui rudem Li-  
 voniae populum docerent. Nam ad Rhenum fuisse docet hæc vetus  
 inscriptio. *Anno MCCXIII 8 Calend. Septembris consecratum est altare  
 novi Chori Sanctensis ab Episcopo Estiensi in honorem B. M. Virginis;* ap-  
 paretque tum Pontificalia munera explese per Coloniensem diocæ-  
 sin loco Theodorici Archiepiscopi, quòd is à Pontifice anathemate  
 percussus, Romam pro reconciliatione provectus esset. Atque hic  
 Livoniae præsul, & gentium doctor, cum in Saxoniam veniret, con-  
 tulit se primùm ad Paderbornensem & Verdensem, ceterosque Epi-  
 scopos, quorum consilio & commendatione apud Pontificem facta  
 hoc ipso anno prius Episcopus consecratus est, quod hæ Pontificis  
 literæ commonstrant.

Theodo-  
 ricus Esti-  
 ensis in  
 Livonia  
 Antistes  
 nova pro  
 gentis  
 conver-  
 sione  
 subsidia  
 flagitat.

Idem  
 conse-  
 cratur  
 Episco-  
 pus.

*Commissi nobis officii sollicitudo deposcit, ut ijs, quæ ad divini cultus  
 ampliationem pertinere noscuntur, favorem studeamus benevolum impartiri.  
 Cum ergo venerabiles fratres nostri Paderburnen. Verden. \*Ralkeburgen. et  
 Rigen. Episcopi te in Episcopum Estien. provinciæ duxerint ordinandum, sicut  
 ex litteris accepimus eorundem; nos quod super hoc ab ipsis providè, atq; cano-  
 nicè factum est, ratum habentes et gratum, præsentium tibi auctoritate conce-  
 dimus, ut in ea libere officium exerceas pastorale. Datum Lateran. II Calend.  
 Novembris. Pont. nostri Anno XVI.*

\*al. Ra-  
 ceburgen.

Sed longè illustrius fuit opus trium Saxoniorum Episcoporum,  
 Ottonis Monasteriensis, Bernardi Paderbornensis & Jsonis Verden-  
 sis, qui non modò ad commendatitias Innocentij Pontificis literas  
 Estiensem Episcopum omni caritatis ope & subsidijs exceperunt, sed  
 & se ipsos ad profectioem in Livoniam & Apostolicos labores obtu-  
 lerunt, parati Evangelium & Christi legem docere incultum Livoniae  
 populum; quod sanè quàm gratum fuerit Innocentio Pontifici, do-  
 cebunt hæ Pontificis literæ ad Bernardum Episcopum nostrum.

Innocentii  
 epist. 124.  
 Odoricus in  
 hist. Eccles.  
 Bernardus Ep.  
 Paderb.  
 cum alijs

*Ab eo qui neminem vult perire, sed ut omnes ad agnitionem perveni-  
 ant veritatis, tibi audivimus et credimus esse inspiratum, ut venerabili fra-  
 tri nostro Estien. Episcopo, qui sicut servus fidelis et prudens in Domini vinea  
 fideliter operatur, cooperatur accedens cum eo portare proposueris coram gen-  
 tibus et Regibus nomen Dei, et dare salutis scientiam plebi suæ. Nos igitur tuum  
 primum propositum dignis in Domino laudibus commendantes, fraternitatem  
 tuam monemus attentius et hortamur, quatenus accensus zelo fidei christianæ,  
 ac sperans, quod, qui affectum tibi dedit, adjiciet et effectum, Evangelistæ ag-  
 grediari opus et officium confidenter, ut cum illis, qui euntes ibant et flebant  
 mittentes semina sua, exultationis manipulos valeas reportare. Ut autem  
 prædicationis officium valeas liberius exercere, statuimus, ut te hujusmodi pi-  
 etatis operi mancipato, Ecclesia et persona tua cum omnibus bonis suis sub Apo-  
 stolicæ*

Pontifici  
 se offert  
 ad Chri-  
 sti legem  
 in Livo-  
 nia do-  
 cendum.

stolicæ